

*mum, Conradum, Ottonem, Luderum & Mechtildem.* Obiit *Albertus* MCCLXXXIX in die assumptionis B. Virginis, *Brunswik* in Ecclesia S. Blasii est sepultus. *Johannes* duxit uxorem filiam *Gherardi*, Comitis de *Schonenboreb*, qui cum fratre suo terram dividens, *Lunboreb*, obtinuit principatum, & genuit *Ottonem*. Obiit MCCLXXVII. XVII. Kal. Jan.

Item *Otto* senior, ex *Mechtilde* genuit *Conradum*, Episcopum *Verdensem*; *Ottonem* Episcopum *Hildensem*, qui jura Ecclesie suae bene dicitur defendisse: & obiit anno Domini MCCLXXXIX. *Mechtildem*, quam duxit *Hinricus* Pinguis, Comes de *Anhalt*, & genuit *Ottonem* Comitem, & facta est propter sui discretionem postea Abbatisa in (\*) *Gherode*, *Helnam*, quam primo duxit *Hermannus*, Dominus *Hassia*, filius B. *Elisabeth*. Hanc postea duxit *Albertus* Dux *Saxoniae*, & genuit *Johannem* & *Albertum*. Obiit MCCLXX. *Alydem*, quam duxit *Hinricus* filius B. *Elisabeth* Landgravius *Hassia*. *Elyabeth*, quam duxit *Wilhelmus* de *Hollandria* Rex, & genuit *Florentium* Comitem *Hollandriae*: & *Agnetem*, quam duxit *Wislaus* Dominus *Rugia*, & genuit filios & filias.

Sex filiorum Ducis *Alberti* primus *Hinricus*, duxit uxorem filiam *Alberti* Landgravius *Thuringia*. Secundus *Albertus* duxit filiam *Hinrici* Domini de *Werle*. Tres ultimi, *Conradus*, *Otto* & *Luderus*, Cruciferorum se Ordini manciparunt. *Mechtildis* nupsit Duci *Glogovia* MCCXII. in mense Martio. Sit Deus super omnia benedictus.

Anno Domini MCCLXXXVIII, in die *Bonifacii* martyris *Hinricus* & *Anneko* de *Henboreb*, *Hildemarus* Advocatus *Irkesleve*, de *Salderen* miles, cum XII. sociis in *Helmeffede*, à communi vulgo miserabiliter occiduntur. Eodem die inter Dominum *Sifridum* de *Runkil*, Archiepiscopum *Coloniensem* & Ducem *Brabantiae* & eorum complices, inter *Coloniam* & *Nussiam*, praelium fit crudele, in quo duo fratres de *Lucelenboreb* cum aliis pluribus occiduntur. Archiepiscopus *Coloniensis* capitur, & plus quam anno ab illis de *Monte* in vinculis detinetur.

## III.

## FRAGMENTVM

GENEALOGIAE DUCVM BRVNSVICENSIVM  
ET LVNEBVRGENSIVM.

**H**ENRICUS quintus Rex, *Saxoniam* maxima strage invasit, captivatis ejus Principibus, vel occisis. Tunc *Luderus* Dux *Saxoniae*, cum nobilibus occurrerunt regi, in locum, qui dicitur *Welpesholte*, contra multos pauci numero pugnaturi; in quo bello, anno Domini M C X V. potentiam regis *Saxones* contriverunt. *Henrico* vero rege apud *Trajectum* defuncto, anno Domini M C X V I. ex *Mechtilde* uxore sua, filia regis *Angliae*, reliquit filium *Fridericum*, Ducem *Sveviae*; & hic decedens, reliquit tres filios; scilicet *Hinricum*, *Fridericum* & *Conradum* regem.

**MAGONI**, Ducis *Saxoniae* quinti, filiam *Wibildim* duxit *Henricus*, Dux *Bavariae*, frater Ducis *Welf*; & genuit ex ea *Henricum*, Ducem *Bavariae*. Hic duxit *Gertrudem*, filiam *Luderi*, Ducis *Saxoniae*, & genuit ex ea *Henricum Leonem*, & fratrem ejus *Welf* juniorem, & filiam, *Juttam* nomine.

Anno Domini M C X V I. *Hinrico* V. defuncto, **LUDERUS** Dux *Saxoniae* rex electus est, & *Lotharius* appellatus, & anno octavo regni sui Imperator coronatus: & fuit in diebus ejus tranquillitas & pax inter Sacerdotium & regnum: & ita *Lotharius* rex factus, ducatum *Saxoniae* dedit focero suo, Domino *Hinrico*, Duci *Bavariae*, ut duos Ducatus pariter possideret. In isto ergo redit ducatus ad semen *Billingi*.

**LOTHARIUS** vero rex, assumpto duce *Hinrico*, focero suo, *Roma* & *Italia* est potius. Qui cum redire pararet, *Rogero* ab *Apulia* depulso, anno Domini M C X X V I I. cum regnasset annis XII. in matura morte praeventus est: cui successit *Conradus* rex, filius *Frederici*, Ducis *Sveviae*, nepos *Henrici* quinti.

Anno ergo Domini M C X X I X. mortuo *Henrico*, Duce *Bavariae* & *Saxoniae*, *Gertrudis*, filia *Lotharii*, uxor ejus, duxit *Henricum*, fratrem *Conradi* regis: & ille ducatum *Bavariae*, qui jure hereditario debebatur *Henrico Leoni*, filio *Gertrudis* cum matre pueri obtinuit. *Juttam* vero filiam *Gertrudis* duxit *Fridericus* Dux *Sveviae*, frater *Conradi* regis, & genuit ex ea *Fridericum*, primum hujus nominis Imperatorem. Hic *Henricum* filium avunculi sui, exhaereditavit. Cui successit filius ejus *Henricus*. Hic adolescens M C L X X I V. duxit *Constantiam* vetulam LX. annorum, filiam *Rogeri*, regis *Siciliae*, *Calabriae* & *Apuliae*, quae anno aetatis suae LXI. in *Affisio* peperit, vel peperisse finxit, filium *Fridericum*, qui successit *Ottoni*, existens X X I I I. annorum, de quibus require in *Chronicis Imperatorum*.

Contra

(\*) Gherode



Contra *Fridericum* excommunicatum & depositum electus fuit, anno Domini MCCXVI. *Henricus* Lantgravius Thuringia. Quo post unum annum defuncto, electus est *Wilhelmus*, Comes Hollandia MCCXLVIII. & octo annis supervivens, à Frisonibus occisus est. Quo mortuo habita est mentio de eligendo *Ottone* Marchione Brandeburgensi, viro ad imperium idoneo & devoto. Sed interveniente pecunia, *Richardus* frater *Henrici*, regis Anglia, Comes Cornubia in regem à tribus tantum Electoribus, scilicet Archiepiscopo Maguntino, Coloniensi & Palatino, MCCLVII. est assumptus; aliis tribus, scilicet Archiepiscopo Treverensi, Duce Saxonia, Marchione Brandeburgensi, eligentibus *Alfunsus*, regem Castellæ. Quibus cassatis sub *Gregorio* Decimo, MCCCLXXIII. mense Octobri, *Vrankenvorde Rodolphus*, Comes Havi-ckesburch, concorditer est electus; qui *Austriam*, *Stiriam*, & alias terras, quas rex Boëmio *Odakerus* sibi usurpaverat, recuperavit, & MCCCLXXVIII. VII. Kal. Septembris, in prælia ipsum occidit.

**HENRICUS LEO**, Dux nonus, congregavit exercitum contra *Henricum* vitricum suum, ad Ducatum *Bavaria* recuperandum. Sed rege *Conrado* fratrem suum juvante, non profecit. Mortuo tandem rege *Conrado*, vacavit Imperium annis sex. Demum successit ei *Fridericus*, filius fratris *Conradi* regis, *Friderici* Ducis Suevia. Temporibus hujus Imperatoris, cum potestas Ducis *Henrici Leonis* invaluisset super omnes Duces Saxonia, & factus esset dominus terræ Slavorum, impetravit ab Imperatore autoritatem dandi, & suscitandi, & confirmandi Episcopatus in omni terra Slavorum; unde & *Zuerinensem*, & *Raceburgensem*, & *Aladenburgensem*, qui nunc *Lubicensis* dicitur, insituit Episcopos & confirmavit.

Anno Domini MCLXXI. *Henricus Leo* terram suam *Wichmanno* Magdeburgensi Archiepiscopo committens, ad Terram Sanctam per terram profectus est: & visitatis locis sanctis, & sepulchro Domini, cum gloria in Theutoniam est reversus. Qui *Friderico* Imperatori, obsidenti *Mediolanum*, veniens in auxilium cum mille loricatis; humiliter vero rogaretur ab Imperatore, ut maneret: illicentiatus contumaxque recessit. Post annos autem quinque, cum contumelia *Mediolanensium* perpetua, *Mediolano* destructo, tandem Imperator in Theutoniam rediens, celebrata curia, *Henricum Leonem*, filium avunculi sui, à ducatu & feudis, quæ ab imperio tenuit, deestitit; vix sibi *Lunenburch* & *Bardawik*, & paucis aliis derelictis. Episcopo Coloniensi contulit *Westphaliam*, & alia cæteris est largitus, & sic ducatus Saxonia datus est *Bernbardo*. Obiit autem *Henricus Leo* anno Domini MCCXXV. & reliquit *Henricum*, *Ottonem* Imperatorem, *Luderum*, *Ritze*, hæredes, & *Wilhelmum*.

**WILHELMUS** anno Domini MCCII. duxit uxorem *Helenam*, sororem *Waldemari*, regis Dacia, & genuit ex ea *Ottonem de Luneborch*, & obiit anno Domini MCCIII. **OTTO** vero duxit uxorem *Mechtildem*, filiam *Alberti*, Brandenburgensis Marchionis, & genuit ex ea *Ottonem*. Hic cadens de vehiculo glaciali, mortuus est & in *Luneburch* sepultus. *Albertum*. Hic juvenis existens, Comitem *Conradum de Everstein*, contra ipsum Episcopum Maguntinum incitantem, per pedes suspendit. Archiepiscopum Maguntinum in claustrum *Amelungesborne* cepit, & castrum *Affeborch* obrinuit. Anno MCCLVII. intravit *Holsatiam*: ipsam rapinis & exactionibus devastans, cepit in ea *Plone* civitatem & castrum. Hic MCCCLXIII. v. Kal. Novembris, à *Tiderico* Marchione Misnensi, cum *Henrico Pingui* Comite, & fere suis omnibus est captus. MCCCLXI. Hic primo duxit filiam Ducis Brabantia: Postea filiam Marchionis Montis-ferrati *Aleidem*. Obiit MCCCLXXIX. in die Assumptionis, sex filios relinquens, & unam filiam.

*Johannem*, qui duxit uxorem, filiam *Gerardi*, Comitis de *Schonenborch*. Qui cum *Alberto* fratre suo terram dividens, *Lunenborch* obtinuit principatum. Moriens anno MCCCLXXVI. tutelam filiorum suorum fratri dereliquit.

*Conradum*, qui laicari volens, Præposituram majorem in *Brema* perdidit: postmodum in *Verdensen* Episcopum est electus.

*Ottonem*, Episcopum *Hyldensensem*, qui jura Ecclesie in temporalibus bene defendit. Obiit MCCCLXXIX.

*Mechtildem*, quam duxit *Henricus Pinguis*, Comes de *Anahalt*, & genuit *Ottonem* Comitem.

*Helenam*, quam primo duxit *Hermannus*, Dominus *Hassia*, filius filia Dominæ *B. Elisabeth*: postea *Albertus* Dux Saxonia. Quæ obiit MCCCLXX.

*Alheidem*, quam duxit *Henricus*, Dominus *Hassia*, filius filia *B. Elisabeth*.

*Helenam*, quam duxit *Wilhelmus de Hollandia* rex, MCCLI. & genuit ex ea *Florentium*, Comitem Hollandia. *Florentius* duxit filiam Comitis Flandria, quam mater in *Queddelingeborch* Canonicam fecit. Postmodum fratres sui eam Domino *Rugia* copularunt. Obiit autem *Otto de Lunenborch* MCCLI. *Mechtildis* uxor ejus, MCCCLXI. & eis successit *Albertus*.

*Suigerus* XIII. Brandeburgensis Episcopus cepit MCCXXIX. sedit annis XXI. menses IV. dies XVII. Obiit MCCXLI. sepultus in capella, in castro Brandeburgensi. Hic fuit, antequam eligeretur, Præpositus S. Mariæ Magdeburgi, Ordinis Præmonstratensis, & primus illius Ordinis Episcopus Brandeburgensis. Hic in curte sua *Liezeke* Ecclesiam construxit, & ibidem fratres sui Ordinis collocavit, & bonis ditavit. Hic anno Domini MCCXLVII. cum *Frederico*



*derico* Magdeburgensi Episcopo, & *Anselmo* Havelbergenfi Episcopo, & pluribus aliis, accepta cruce, contra paganos contra Aquilonem habitantes profectus est. Hujus temporibus fuit in *Brandenburg* rex *Henricus*, qui Slavice dicebatur *Pribezlaus*: qui Christianus factus, Idololum, quod in *Brandeburgh* fuit, cum tribus capitibus, quod *Tryglav* Slavice dicebatur, & pro Deo colebatur, & alia Idola destruxit, & idololatriam & ritum gentis suæ detestans, cum filium non haberet, *Adelbertum* Marchionem, dictum *Ursum*, heredem sui instituit principatus.

*Sifridus* XV. Episcopus Brandeburgensis, cœpit anno Domini MCLXXIII. Sedit annis sex, mensibus XIX. diebus XXIV. Hic fuit filius *Adelberti Ursi*, Marchionis Brandeburgensis, & frater *Otonis primi*, & de clerico seculari in Brandeburgensem Episcopum est electus, Præposito Brandeburgensi *Gerardo*, & post *Henrico*. Hic fuit Canonicus S. Mariæ in Magdeburg. Hic anno Domini MCLXXX. in Archiepiscopum Bremensem est confirmatus, & cessavit Episcopatus Brandeburgensis.

*Aldwinus* XIX. cœpit anno Domini MCCV. sedit annis XI. mensibus VII. diebus XXVI. Obiit MCCXVII. pridie Kal. Junii. Hic juramento obtinuit coram *Alberto* Marchione, *Silvæ Wernitz*, ad castrum *Pritzerwe* quæ est, Brandeburgensi Ecclesiæ pertinere. Hic de Præposito in Episcopum est electus, & ei in Præpositura *Günzelinus* successit, & *Günzelino Sifridus*. *Sifridus* XX. cœpit anno Domini MCCXVII. sedit annis III. mensibus XI. diebus XXXIII. Hic de Præposito factus Episcopus, fratrem suum carnalem *Alvericum*, Canonicum Magdeburgensem, virum literatum & providum, qui Ordinem Cisterciensem assumerat in *Lenin*, in novitiatu recepit, & sibi in præpositura substituit, anno Domini MCCXVII. XIV. Kal. Julii. Qui Præpositus ecclesiæ præsidens utiliter annis XIII. mensibus X. ad Ordinem Cisterciensem in *Lenin* rediit, anno Domini MCCXXI. IX. Kal. Maji, & ibidem in Domino.

*Ruthgero* Præpositis. Obiit autem anno Domini MCCXLI. XIX. Kal. Jan. & cessavit Episcopatus dies V. Hic bonæ literaturæ magister fuerat *Alberti* Archiepiscopi Magdeburgensis: Qui propter morum & scientiæ elegantiam ipsam ad Decanatum & Episcopatum creditur promovisse. Fuit enim homo mundus, dulcis, affabilis, studiosus & disciplinatus, adeo ut & ipsi filii nobilium mitterentur ad eum, disciplina & moribus imbuendi. Cotidie pauperes & Scholares ad mensam coram se posuit comedentes. Hic de decimis novæ terræ cum *Johanne* & *Otone* Marchionibus terminavit: altare in Crypta consecravit in honorem Mariæ Virginis, *Johannis Baptistæ*, Mariæ Magdalænæ, Catharinæ, *Livini* Episcopi & Martyris MCCXXXV. VI. Kal. Decembris, temporibus *Jacobi* Præpositi. Qui *Jacobus* emit villam *Mukede*, & proprietatem, & laudabiliter suæ Ecclesiæ præfuit.

## IV.

## GENEALOGIA

## DVCVM BRVNSVVIGENSIVM,

## ILLORVM,

QVI EIMBEK, OSTERROT ET DVDERSTAD, CVM ATTINENTIIS POSSEDERVNT;

## THEODORICO ENGELHVSIO

## AVCTORE.

**D**uces *Henricus*, *Johannes* & *Wilhelmus*, fratres. *HENRICVS* vendidit *Duderstad* & *Geveldehusen* Archiepiscopo Maguntinensi, pecunia non soluta. Reliquit tres filios, *Otonem*, *Balthasar* & *Thomam*. *Otto* ivit ad *Italiam*, factus ibi magnus, duxit uxorem reginam *Neapolitanam*; fecitque fratrem *Balthasar* Dominum & Comitum *Fundorum*: qui ambo sepulti sunt in Italia. *Thomas* autem frater eorum, factus religiosus ordinis Eremitarum S. Augustini in *Northusen*, visitans Studium, & factus Doctor S. Theologia, multas reliquias portavit de Italia ad partes suas; de quibus sunt: *Quinque spina de corona Domini*, & *duæ pretiosæ cruces in Walkenrede*. Idem *Thomas* duxit duas sorores suas ad *Italiam*, quas ibi nobilibus maritavit. *ERNESTVS* possedit *Eimbek* cum attinentiis: *JOHANNES* frater ejus factus est Præpositus *Eimbecensis*; & *WILHELM* obiit sine prole. *Ernestus* Dux, dum quodam tempore equitaret per *Norren*, nihil adversi suspicans, captus est à *Henrico* de *Hardenberch*, & incippatus. Propter quod frater ejus *Johannes* Præpositus, collecto exercitu invasit *Norren*, villam comburens, & pecora cum aliis abducens. Cumque *Hardenberge* hoc vindicare vellent, captus est idem *Henricus* de *Hardenberg*, sedens in equo Ducis capti, & in *Castrum salis* incippatus. Quem cum *Johannes* Præpositus vellet occidere, prohibitus est à suis, ne similiter pateretur Dux captus. Facta igitur